



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

**Parisiis, 1644**

II. De iis qui in extremo vitae poenitentiam & communionem petunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

amittunt. Si qui autem scisse formam viuendi missam a Siricio detegentur, neque statim cupiditates libidinis abiecisse illi sunt modis omnibus submouendi: quia post admonitionem cognitam, præponendam arbitrati sunt voluptatem.

## II.

Et hoc quæsum est, quid de his obseruari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ poenitentiam simul & reconciliationem communionis exposcunt. De his obseruatio prior durior, posterior interueniente misericordia inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis poenitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutions essent, ne communionis concessa facilitas homines de recōciliatione securos non reuocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa poenitentia, ne totum penitus negaretur: & duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed posteaquam Dominus noster pacem ecclesiis suis reddidit, iam terrore depulso communionem dari abeuntibus placuit; & propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis, & ne Nouatiani hæretici negantis veniam asperitatem & duritiam sequi videamur. Tribuitur ergo cum poenitentia extrema communio, ut homines huiusmodi, vel in supremis suis poenitentes, miserante Saluatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur.

## III.

23. qd. 4.  
Quæsum  
est etiam.

Quæsum est etiam super his qui post baptismum ad ministrauerunt, & aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem sententiam protulerunt. De his nihil legimus a maioribus definitum. Meminerant enim a Deo potestates has fuisse concessas, & propter vindictam noxiorum gladium fuisse permisum, & Dei esse ministrum vindicem in huiusmodi datum. Quemadmodum igitur reprehenderent factum, quod auctore Deo viderent esse concessum? De his ergo ita ut haec tenus seruatum est sic habemus, ne aut disciplinam euertere, aut contra auctoritatem Domini venire videamur. Ipsis autem in ratione reddenda gesta sua omnia seruabuntur.